



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Nucleus Juris Canonici

Thenhaven, Bernhard

Coloniæ Agrippinæ, 1739

XLII. De alienatione judici mutandi causâ facta. D. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63382](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63382)

nunquam habuit; in priori casu agitur de damno vitando ex amissione rei jam habitæ, ad quod Clerico minori graviter læso, etiam re non integrâ, jus vult subveniri.

TITULUS XLII.

*De alienatione mutandi iudicii
causâ facta.*

I. Per hanc ALIENATIONEM intelligitur ea, per quam quis, metu litis impendentis, dolo malo rem, vel possessionem, vel actionem, super qua quispiam litem sibi movendam suspicatur, transfert in alium potentiolem, vel subjectum alteri foro, ut sic actori litem duriolem constituat. Contra quam Prætor ad talibus fraudibus obviandum ex naturali æquitate indixit, quòd taliter læsus possit intentare vel contra sic dolosè alienantem, *actionem in factum ad interesse*; vel contra talis rei cessionarium *actionem in Rem* ad rei vindicationem seu exceptionem, ut maluerit. Dixi, *litis impendentis*, quia si lite jam intentatâ res litigiosa alienetur, alienatio est ipso jure civili irrita, ut nullo Prætorio restitutionis remedio opus sit, & variæ pœnæ contra alienantes & ementes rem litigiosam sunt statuta *L. ult. C. de litigio*. Jus Canonicum *h. t.* statuit

2. C. 1. in Decret. „Cùm aliqui literas
 „Commissionis impetrâssent à Pontifice,
 „adversarii, ut mandatum hoc eluderent,
 „antequam literæ ad Judicem pervene-
 „rint, vel etiam postea, priusquàm citati
 „essent, commutationem facientes, ali-
 „quos in possessionem eorum, de quibus
 „controversia vertebatur, malitiosè in-
 „ducebant; Pontifex, contra prædictam
 „calliditatem & versutiam providere vo-
 „lens, mandat, eos, qui in possessione
 „se ingesserunt, appell. cess. juris æqui-
 „tati parere. Et c. 2. Cùm quidam Cle-
 „rici sibi dono vel pretio cedi facerent
 „actiones laicorum per Judicium sæcu-
 „lare dirimendas, ut adversarios ad Ec-
 „clesiasticum forum traherent, & præ-
 „dam ex hujusmodi commercio asseque-
 „rentur, decernit Pontifex; cùm emptio-
 „nes & cessiones litium legitimæ prohi-
 „beant sanctiones, ita quòd jacturâ causæ
 „adficiant illos, qui sibi potentiorum pa-
 „trocinium taliter advocare præsumunt;
 „& ex eo sint etiam odiosæ, quòd ex fon-
 „te cupiditatis videantur procedere, ut
 „Clerici à præsumptione hujusmodi per
 „Censuras Eccles. compescantur.

✠ (t) ✠

TITU-